Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 833
Quelle:
Copyright:

res complectitur praevia ad *Leandrum* Ep. Epistola, textuque satis castigato.

CCCLXXIV.

U. 268 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 357. f. per duas columnas munde descriptus, et rubricis pernotatus *Gregorii M. Moralium in Job Libros* XVIII. priores complectitur. Praeit *Index* alphabeticus Rerum satis exactus, ut primum *fol.* 45. Opus ipsum a *Prologo* auspicetur. *Reuerentissimo et sanctissimo fratri Leandro* (Ep. Hispal.) &c. *Dudum te frater beatissime in constantinopolitana vrbe cognoscens* &c.

Fol. 47. p. 2. inchoat *Liber* I. *Inter multos sepe querunt* (quaeritur) *quis libri beati Job scriptor habeatur* &c. Exemplum collatum cum Edit. *Maur. Opp.* T. I. *col.* 1. probe respondet. Finis L. XVIII. *in ipso suo fonte bibimus* (biberimus). *Et sic est finis huius Operis.* Nempe dimidii; supersunt enim *Libri* XVII.

Theca Codicis intus convestita est laciniis membraneis Commentarii cujusdam rabbinici in *Leviticum*, et *Prophetas* min. absque punctis.

CCCLXXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3061 XII. Folior. 108. f. per duas columnas luculente, pulcreque exaratus, minio distinctus, cum in principio, tum praecipue in fol. ambiente postico vetusta manu inscribitur: *Liber Sancte marie in paugartenperig*, id est, *Monte Pomerio* Coenobio Ord. *Cist.* a. 1142. in *Austria* super. fundato, nunc vero sublato. Hanc autem Rubricam praefert: *In Explanatione Moralium Beati Gregorij pape per contemplationem sumpta in Job. Incipit Liber. Sextus. Pars Secunda.* Et ad Librum XI. *In explanatione moralium beati gregorii pape in iob liber XI. pars tercia.* Divisio igitur eadem, ut in edit. *Maur.* T. I. *Paris.* 1705. *col.* 181. unde et ad calcem Noster litera quadrata: *Explicit. Liber. XVI°. Moralium. Beati. Gregorii. Pape. Vrbis. Rome. Pars. III.* Textus pariter ad hanc Editionem comparatus valde emendatus est. Calligraphus, quem coenobitam *Pomariensem* putem, ita sub finem se nobis commendavit:

Scriptor ego serus in fine sedens rudigerus
Oro Lectores esse mei memores.

Non omittam, quae manu Sec. XIII. ad Coenobii historiam Codici praescripta sunt. *Ne per obliuionis dispendium uel temporis diuturnitatem labilis hominum memoria sub incerto fluctuans super die uel termino consecrationis huius sancte basilice aliquando disentire uideatur, uolumus, ut idem terminus fugata tocius ambiguitatis nebula*